

nis, splendidissimis coloribus fulgentes, ita ut ulnas 5 exsuperent.

2. Laterna Magica instrui potest vel speculo concavo, vel sphaerico vitro, aqua repleto, vel vitro alio convexo solido.

DEMONSTRATIO XXXIX.

Color est lux vario modo reflexa & refracta, pro diversa superficiecularum corporis habitudine.

*Experimenta.*

1. Iris amoenissima insignis circuli in parietem transferri potest, per vitrum prismaticum & speculum cylindricum; nec non copiosae irides sicuti in pariete per vitrum crystallinum compluribus angulis instructum.

2. Si vitra prismatica sive polyedra invicem combinantur, & loco fenestrae usurpentur, totum conclave ornabunt pulcherrimis coloribus, smaragdinis, sapphirinis aliisque, adeo, ut amoenitatem horum nulla pictoris manus assequi possit.

3. Liquores colorati pro diverso situ ad solis radios, vel pro varia vasorum, quibus continentur, diametro, diversos spectantibus exhibent colores.

4. Infusio saturata florum tunicae, vel rosarum, vel balaustiorum, pro diversa admixtione liquorum acidorum, aut alcalinorum, distinctissimos colores producit, rubicundum, purpureum, brunum, viridem, flavescentem: sique infusioni florum balaustiorum adjiciatur momentum vitrioli, statim atramentosus exurgit color.

5. Singularis cortex cujusdam radicis infuso spiritu vini, item oleis, sive destillatis, sive expressis, producit elegantem

gantem